



**Eryci[i] Pvteani Pietatis Thavmata In Bernardi Bavhvsii[i]
è Societate Iesv Protevm Parthenivm**

Puteanus, Erycius

Antverpiæ, 1617

M. Non nisi à Virgine Proteum esse, facilitate pulchrum. Porphyrij Panegyricus mirus, sed miser: Bauhusij Proteus pius, & felix. Vtriusque ingenium consiliúmque expensum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70659)

ducite, folia inspergite, quæ numero stellas referant; quæ inscripta versu singula, versum & librum constituent; quæ comâ & coronâ Virginis Dotes, quantum licet, repræsentent. Hæc Quercus Proteus erit: imò hic Proteus Quercus erit; & sic quia verè MARIANA, vt cum Cicero-
 ne dicam, Lib. 1.
De Leg.

Canescet sacris innumerabilibus.

T H A V M A M.

*Non nisi à Virgine Proteum esse, facilitate pulchrum.
 Porphyrij Panegyricus mirus, sed miser: Bauhusij
 Proteus pius, & felix. Vtriusque ingenium consi-
 liumque expensum.*

HOC mirum: nihil Proteo difficilius, & nihil tamen facilius est. Qui tam ægrè describitur, tam morosè pingitur, profusus est. Ludere Auctor potuit, vbi typi crucientur, pictura laboret. Et quis Vatum igitur feliciori impetu surrexit? quis versu vno immensum absoluit opus? Cælo descendit: ingenio Vatis sui Virgo vsa est. Hæc dictauit, ille scripsit; hæc suggessit, ille fudit: nouum Vatem, noua Musa ostendere sæculo doctissimo voluit, qui carmine clarus, Pietate æternus esset, sed facilitate labores omnium vinceret. Momento temporis librum scriptum esse nulla ætas vidit: hoc nouum, hoc mi-

M rum

rum est. Scripsit BAVHVSIVS, versum fudit, versus in librum se dilatauit. Vsurpent alij, Δύσκο-
 λα τὰ καλά: nulla hîc opera est, infinita pulchritu-
 do: palleant alij, vnguesque rodant; absolutus il-
 le non nisi à cælo, non nisi à Virgine nitor est. &
 quid mirum? Virgo laudatur. Sic quidem infe-
 lix olim, quia laboriosus Publilius Optatianus
 Porphyrius. is vt Patriam recuperaret, diffici-
 lius exilio carmen, an tormentum? composuit,
 Panegyricum Constantino. Quid enim? Miser
 scribendo, grauiorem subiuit versu pœnam,
 quàm redemit. Miser, & sic mirus. quippe cru-
 ciauit ingenium, occupauit annos, & eousque
 laboriosam poliuit Musam, vt ridiculam faceret.
 Alia in Proteo facies est: alio entusiasmo Auctor
 subuectus. An & comparisonem instituo? Hic
 Pietatis, ille Ambitionis. Hic cælum, ille terram
 spectauit: hic Virginis gratiam, ille Cæsaris: hic
 simplicissimâ venustate variauit carmen, ille no-
 tis maculisque conspersit. Ergo quanto beatius,
 Pietate, quàm ambitione clarum fieri! Pietas
 æterna ac diuina est; ambitio fragilis, & caducæ
 instar flammulæ euanescit. Quanto etiam pul-
 chrius apud Deum, quàm homines, Patriam quæ-
 rere! Exilium est, quidquid in terrâ agitur, adeo-
 que carcerem in hoc corpore mortales habemus.
 Veros Penates puto, vbi nemo perit, nemo mo-
 ritur, nemo periclitatur: domicilium verum,
 quod

IN PROTEVM PARTHENIVM. 91
quod sideribus illustre est, quod versibus Vates
noster depinxit. Sic quanto iucundius, in Virgi-
ne Matrem, quàm in Cæsare Dominum inueni-
re! Nemo Matrem coluit, & seruus fuit: agnoscit
illa amabile nomen suum, & in cultores deriuat:
reddit affectum, & filios appellat. Rursus Do-
minum nemo coluit, & liber fuit. Obsequium
sceptris debetur, nec placere potes, nisi vt mise-
riam trahas. Erras, si gratuitam Fortunam pu-
tas; non est: iugo suo premit, quos euehit; infeli-
citatem blanditiis vendit. Denique, quanto in-
geniosius, versu vno copiosum esse, quàm in co-
piâ angustius molestissimis constringi! Fuit BAV-
HVSIVS, ô mirum! constrictus est Porphyrius.
BAVHVSIVS, quia virgineum veræ Pietatis ar-
dorem intellexit, breuis fuit, vt omnia diceret:
Porphyrius, quia seruilem obsequij simulauit af-
fectum, supersticiosus adulatione fuit.

T H A V M A N.

*Etiam Proteum tentauit Porphyrius, sed formarum
inopem. Maiori versu Virgo digna: & maio-
rem scribere potuit, qui calum spectauit.*

ET tamen Proteum formauit Porphyrius, la-
boriosissimus omnium Poëtarum. Porphy-
rius, inquam, ille à Constantini æuo; ne hester-
næ aut ineptæ inuentionis hoc genus carminis

M 2 existi-